UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Qvatvor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conuersione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

49. Pia Doctoris Pauli industria ad propag. fidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

Visual Library

hoc Paulus Doctor ſcripto docet mittendum in Coriam aliquem ex ſuperioribus Mandarinis, qui gentem illam armorum vſui aſſuefaciat, iſtúmque ex ea conflet exercitum, qui vnà & Sinis animos faciat, & Tartarorum impetus retundat. Hoc Pauli ſcripto, nihil potuit plauſibiliùs venire, nihil rationum momento ſolidiùs, nihil inhibendo Sinarum exitio certiùs. Hinc à Præſidibus armorum, ſupplex conditur ad Regem libellus qui feſtinato reſponſo conſilium probauit, hortatúſque eſt ad iter & præfecit executioni Doctorem Paulum cum extraordinaria poteſtate.

49. Pia Doctoris Pauli induſtria ad propag. fidem.

Suam ipſe ad hoc detulerat operam, quòd alioqui Mandarinis perinde ferè ſit auelli extra Sinas vt extra mundum exulare: noui huius honoris velut miſſo cœlitùs nuntio, totus in Deum animo effuſus ſingulari ſe illius munere agnoſcit ad regni vnius conuerſionem adhiberi: nuntio mox Sambiaſium eodem beat, ambóque in genua beneficij auctorem reuerentur, & ſuos illi denuò ſudores vitámque adeò in hoc fidei ſacroſanctæ obſequium deuouent. Dúmque vaſarium tanto Magiſtratui paratur in externum regnum profecturo, libris ab ſe partim compoſitis, partim è Riccio depromptis parat in Coraij primùm, poſt toto deinceps regno illo Chriſti nomen, & legem inferre. In procinctu ad diſceſſum ſtababat, cum grauiſſimus Conſiliarius prudenti ſuo, ſed maligno inſtinctus dæmone rem omnem diſiecit, Pauli iacturam in Coriam ituri nulla ſat in armis Coriorum peritia penſandam fore potiùs in aulam ſi abeſſet, vocandum ad ſecuritatem regni, quantò nunc minùs ab aula remouendum: parem conſilio, proſpicientia, caſibus elidendis huic eſſe neminem. Rebus in ruinam vt erant vergentibus, poſſe incidere, vt bono exercitu vtilior ſit bonus Conſiliarius. Non defuturum idoneum alium qui bello Corios aſſuefaciat, ſic peritum ex iis fortemque exercitum præſtò Sinis futurum nec defuturum excellentem Conſiliarium.

49. Diſturbatur.

His perſuaſus Rex, mutauit ſententiam, Pauli nihilominus illuſtre meritum dignitate auxit quinque gradibus altiori, etſi contra vſum morémque pugnaret aliquem fortuna omiſſis gradibus deſultim creſcere. At is longè acerbiùs doluit præreptam ſibi occaſionem rei pro Chriſto eximiè gerendæ Sinarum imperio pretioſiorem, quàm repoſitis pro ea honoribus acquieuit. Sambiaſium quoque, vt iacturæ inſignis, ita & mœroris ſocium ex interuerſione tanti negotij lugentem conſolatus eſt, expectatione meliorum, quæ aſſecutus eſt poſtea, ſed multo leuioris ad ſalutem hominum momenti.

50. Trigaultij iter ex Sin. in Europ. cui bono, vel ſecus.

Occurrit hic anno 1613. ad medium Februarij, Nicolaus Trigaultius in Europam miſſus, quò per neceſſarias ambages difficillimorum itinerum, ſexto tandem vix anno peruenit. Paſſis in auſtrum velis & portus Indiæ obiens mercatorum negotiis celebres, applicuit Bandaram, ſeu portum Baſſium, in Sinus Perſici faucibus, è regione Ormuzij ſitum. Illinc terra Baſſorum Perſidis delatus coactus eſt Euphratem radere, Bagadad, & Maſſul attigit quas Babiloniam veterem & Niniuem aiunt. Inde ſe in deſerta Petreæ Arabiæ immiſit, quibus

dierum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN